

2285

## A S C E T I C I.

2286

*censis episcopus* (✠ 1169. prius Monachus Morimund. O. Cist.) *Vlricus de Kyrksteten. Vlricus de Cranechberg. Ratolt de Michilsteten. Erminfridus de Ebental. Margareta de hebingen. Adelheidis de trussen. Egelbertus sacerdos Cunderamesdorf. Mebtildis de merfwanck. Alricus de Lengenschbach. Perbta de chelberbrun. Chunradus et Hainricus priores de Zweitel. Alrinus abbas de cikedor*, quae Ordinis Cist. Abbatia fuit in Hungaria et Dioec. Quinqueecclesiensi. Adscripta item est *Dedicatio altaris sancte Crucis. Item dedicatio altaris sancti Mauricij M.*

## DCV.

740 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 203. 8. per duas columnas minute exaratus, rubricisque distinctus Tractatum de *Virtutibus* continet absque nomine Autoris, qui est *Guil. Peraldus*, de *Peyrauta*, *Petra alta*, sive *Perault Allobrox* O. P. mor-

tuus a. 1250. et recensitus in *Scriptt. Ord. T. I. p. 131.* a nobis vero saepius memoratus, et quidem, quod ad praesens Opus adtinet, *Codd. seq. et aliis.* In *Cod. praesenti* praeit *Conspectus* inscriptus: *Incipiunt capitula tractatus uirtutum*, et incipiens: *Praesens opus habet quinque partes principales. prima est de uirtute in communi. Secunda de tribus uirtutibus theologis. Tercia de IIIIor uirtutibus cardinalibus. Quarta de donis. Quinta de beatitudinibus &c.* Deinceps Argumenta Capitum indicantur. *Inscriptio et initium Prologi: Incipit tractatus moralis de uirtutibus. Cum circa utilia studere debeamus exemplo salomonis dicentis: Cogitavi in corde meo &c.* Atque hic mox *Autor vitae genus prodit: Ideo ego minimus de ordine fratrum predicatorum desideravi colligere &c.* Opus inchoat: *Si separaueris pretiosum a uili &c.* Extrema operis: *qui incepit et compleuit. Amen.*

*Dextera scriptoris benedicta sit omnibus horis.*

Quibus accedunt *Folia 4.* chartacea *Quotationes Tractatus Virtutum* continentia scriptas anno domini 1385. Editiones utriusque *Summae Peraldi*, *Virtutum* videlicet et *Vitiorum* vide in *Maittairei Annalib. Typogr. meoque eorum Supplemento.*

## DCVI.

Codex chartaceus lat. Sec. <sup>221</sup>XV. Folior. 277. f. per duas columnas exaratus, olimque, ut theca anterior fidem facit, a Magistro *Paulo de Mellico* in *theologia et artibus lib. Professore, decano ac canonico ecclesie b. stephani*

Y y 3

phani

phani (✠ 1479.) Collegio ducali pro testamento legatus continet, quae sequuntur: I. rubro: *Incipit Summa Virtutum*. Est Opus Guilelmi Peraldi O. P. de quo vide *Scriptt.* ejusd. Ordinis T. I. p. 131. et *Cod.* praeced. Saepius typis editum hoc est initio: *Si separaueris preciosum a uili quasi os meum eris &c.* Collatum cum edit. *Antverp.* 1571. 8. in illo Lucae textu finitur: *Vos estis, qui permansistis mecum &c.* cum edita 5. lineis ultra progrediantur.

II. fol. 54. Sequuntur XV. *Miracula de Corpore Christi, Pueri Jesu, Beata Virgine et S. Augustino* excerpta, ut videtur, ex *Cassiano, Thoma Cantiprat. Caesario Heisterbac. &c.*

III. fol. 56. *Incipit Summa Viciorum*. Etiam hanc esse Guilelmi Peraldi ad *Cod.* seq. dictum est, sed praefens exemplum, cum ab illo *Cod.* tum ab editis multum abit, et horum potius videtur esse Compendium. Exorditur vero hoc modo: *Dicturi de singulis vicijs ante omnia ostendemus doctrinam perutilem esse &c.* Et finit cum Articulo inscripto: *Deuocio contra vicium accidie, his verbis: et gladium id est opera afflictionis quantum ad se ipsum. Rogemus &c.*

IV. fol. 120. *Sermones* XIV. sacri diversis diebus festis habiti ad Academicos *Viennenses*, quorum quidam Nomina Autorum praeferunt videlicet: *Narcissi Herz de Perching, Stephani de Stockbarn, Jobannis Sachs de Nu-*

*remberga an. 1429. Jobannis Städler de Lanzbutta 1431. Nicolai de Grecz, Jobannis Angerer de Muldorf 1429. Jobannis de Gmunden circa 1418.* de quibus, qui volet, *Georgii Ederi Catalogum Rectorum, Conspectum Historiae Universit. Vienn. Scriptores Univ. Vienn.* aut *Job. Jos. Locher Speculum Academic. Vienn.* adibit. Verum his *Sermonibus* admixta sunt quaedam, quae diserte indicari merentur. Itaque fol. 154. habetur absque titulo *Prolusio* quaedam *Disputationum theologiarum Viennensium*, quae per decursum *Aulares* vocantur, hoc initio: *Humane nature fragilitas quamvis sit eminentibus naturalibus stabilita &c.* De ipso instituto versus finem ita Orator: *Ob quod huius Collegii primeui fundatores ad omnium profectum generaliter et in theologia studentium specialiter ordinauerunt et eorum successores adhuc superstites de sua gratia singulari praesentes usque hodie diligenter seruaerunt hoc vacationum (tempore?) excitatorium disputationis conflictum, ne venerabilium suorum tyronum languescerent acuta ingenia et scientia marcesceret acquisita, et ut noxia declinata occupatione, salutari exercicio in materijs theologicis obiectionibus interrogationibus et responsonibus latentes exquirendo veritates se mutuo erudirent &c.* Fol. 161. *Copia doctorum wienn. de XXIII. senioribus qui dicuntur sancti fidei nichil in rerum natura existentes.* Est refutatio erroris cujusdam in supe-

superiore *Stiria* et nominatim in *Judenburga* exorti inscripta: *Venerabili provido et sollicito viro domino — — In superiori Stiria Archidiacono Decanus et Magistri Sacre Theologie Vniuersitatis Studij Wienn.* Error porro ipse est huiusmodi: quod dominus deus cum *XXIIII.* senioribus, quos beatus *Johannes* apostolus *IIII* (*Apoc.*) capitulo commemorat, singulis feriis quintis quatuor temporum quasi ad iudicium resideat, et cum eis consilietur de futuris agendis per quartam anni proxime subsequenter. Quodque circa unum quemque hominem tunc primo preordinet, an in eadem quarta moriturus sit, an victurus aut quid aliud circa ipsum futurum sit prosperi uel aduersi. *Credentes antedictos XXIIII. seniores* fore quosdam speciales sanctos constituentes quemdam sanctorum ordinem ab apostolorum et prophetarum et aliorum sanctorum ordinibus distinctum. Qua occasione aliqui simplices et indocti predictos *XXIIII. seniores* pingi faciunt sub certis ymaginibus et cum nominibus ignotis ipsis in nulla scriptura applicatis, ac per speciales missas, quas de ipsis, nescimus per quos aut cuius auctoritate compositas, et per quasdam speciales ceremonias colunt et coli faciunt; credentes se ex hoc per eorum suffragium in suis negociis prosperari. *Et maxime in predicta feria quinta* eos colunt et coli faciunt, ut tunc temporis tanquam speciales dei consiliarij propicij sint et

*eis pro futura quarta prospera impetrent.* Sententia haec data est: *Wienne in Ducali Collegio in nostra generali congregatione super hoc solempniter celebrata Anno Domini MCCCC vicesimo primo XVII. die mensis Octobr. sub nostri sigilli appensione ad certitudinem prescriptorum.* Nihil de hoc negotio in *Hist. Universit.* Nos illud alibi tangimus. Decanum facult. Theol. ad h. a. in *Locheri Spec. Acad.* inuenio *Theodoricum Rudolphi de Hammelburg* Canonicum *Vienn.* Fol. 184. recurrit absque auctoris nomine, qui *Petrus de Pulka* est, *Copia doctorum Wienn. de articulis Hussitarum*, quae incipit: *Fussit Reuerendissima vestra paternitas &c.* et jam saepius indicata fuit.

V. fol. 227. *Tractatus de V. Sensibus.* Prooemium incipit: *Quanta mala incurrant, qui exteriore suos quinque sensus non habent in custodia &c.* Sequuntur *Sermones VII.* quorum primi Initium: *Adeo dei dono taliter qualiter pauca pro intellectu rudium &c.* Ad calcem jacet: *Anno domini 1448. Amen.* Autorem nobis produnt *Trithemius n. 705.* et *Codex Mellicensis Thomam de Haselbach*, de cuius Viri meritis et scriptis adi *Scriptt. Univ. Vienn. P. I. Sec. I. p. 138. Aeneae Silvii* de eo dictum ad nauseam recoctum est. Vide tamen, quae de *Tractatu* praesenti ad *Cod. DCLXXVII.* dicturi sumus.